
93 453



QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM
die Iovis 3. Decembris.

M. CAROLO MARTEAV,
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An omni Apoplexiæ jugularium ſectio?

I.

CEREBRVM, rationis functionumque animalium propria ſedes & organum, quaſi totus eſt homo: eius mirabilis eſt ſtructura, multis ſinubus excavata, venarum & arteriarum labyrintheis plexibus implicita: ſubſtantia mollis & ſequax, excipiendis ac retinendis rerum ſimulachris aptiſſima: temperies frigida, humida, pacatis & quietis ſenſuum operibus accommodatiſſima: ne quis ergo perperam arbitretur, cordi tantum refrigerando cerebrum impoſitum. Hæc pars ſua quâ valet virtute ſpiritus cudit animales, qui per nervos exinde commeant ad eas partes, quas oportet eſſe inſtructas motu & ſenſu. quo pluribus dotibus cæteris anteſtat partibus, eo crudelioribus divexatur morbis: proprio aliarumque partium vitio laborat: trunco corporis inſidens, in ſe recipit, quidquid ſurſum effertur ab infernis, cuius aſſiduis hauſtibus inebriatur; ſicque per venas, arterias, cœcoſque ductus humor copioſus in eius ſubſtantiam, tranſmittitur, quo imbuta humori congeneres quoſlibet promit affectus. Hinc tota moles contaminatur, læduntur membranæ, irritantur nervi, ventriculi impediuntur, facultates conturbantur. Vnde errores mentis, præpoſtera ratiocinia, phrenitides, melancholiæ, incubus, coma, carus, lethargus, epilepſia, quæ nihil divinum admittit; & (quod malorum omnium cumulus eſt) Apoplexia, quæ uno quaſi momento admiſſis habenis

454 irruit, vix gradu testudineo recedit, nec citra labem principibus facultatibus inustam.

II.

APOPLEXIA, omnium cerebri gravissimus ac infensissimus affectus, contagio febreque carens, quamvis peracutus, teterrimi proditoris instar ex insidiis, non sine vitæ periculo ægrum semper aggreditur, quovis loco, quovis tempore; adstantes etiam in metum conjicit; non sibi constant, qui cernunt ægrum, cui valetudo integra videbatur (nam ut multi sensim consumuntur langore, ita non pauciores fiduciâ secundæ valetudinis statim opprimuntur) lapsu præcipiti, veluti fulmine ictum sideratumque concidere, & sonum quemdam confusum, terrificum, ex anhelanti pectore, quasi vitæ iam corruentis fragorem, referre. διὰ παντελῆ στέρησιν τῆς ἐπιρρεούσης δυνάμεως generatur: hic enim mortis satelles, statim facultati animali vincula injicit, cuius sensum & motum captat, stricte ligat, & rationi lucem eripit, organa animæ ita occupans, ut intercepta lateat. æger veluti dormiens iacet, sine somno stertit, ad nullas inclamationes, nec ad quasvis collisiones expergiscitur; tam gravis torpor attonitum tenet, vt nullis stimulis, eum discutere queas; vnde iure potest dici ἀποπληξία τοῦ φανταστικοῦ παράλυσις, ἢ γνώμης νάρκωσις, à syncope & ab hystericâ suffocatione, pulsu circa initia valido & pleno diffidens. Huius variæ differentiæ pro maiori aut minori respirationis læsione inducuntur; ἰσχυρὴ, vbi præter stertorem, spuma circa os collecta exitium portendit ineluctabile; ἀσθενὴς triplex, nunquam non acuta, dum intentus ac violentus, inæqualis ac intermittens, vel ad ordinem naturalem accedens, motus thoracis deprehenditur.

III.

APOPLEXIAM præcedunt non raro, tanquam præcursores emissarij, vertigo, tremor, ac stupor: ipsam non sola dyscratia parit, nec sufficit; vix vapor; sed quispiam humor; raro bilis, sæpissime sanguis; qui cerebri substantiam obruit; ventriculos affatim implet, premit, obstruit; sic plerumque ictus sanguinis incautos siderat. Menstruorum & hæmorrhoïdum parens humor, in corpore præter naturam suppressus, nonnunquam per μετάστασιν ἀθρόως in cerebrum translatus, apoplexiam inducit; maxime vbi interceptis, compressis, & copiâ turgentibus venis & arteriis, vel spiritui vitali ad cerebrum via præcluditur: vel animalis ad organa sensus & motus descensu prohibetur. Quibus caput occasione aliquâ fuerit valde concussum, sanguine ab apertis, aut diruptis vasis per cerebrum effuso. ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα. Epilep-

ſia, coma, lethargus, adauctâ materiâ, etſi viſcidâ, frigidâ, in morbum attonitum degenerant: tunc ad cerebrum peſſime ſic affectum, oneris gravitate oppreſſum, confeſtim concurrunt ex omni parte ſanguis & ſpiritus: qui διάθεσιν φλεγμονώδη efficiendo, malum graviſſimum cum maiore ægri periculo ingeminant. an itaque bonum febrem apoplexiæ ſupervenire? Hac ſenes, crapulæ addicti, facile corripiuntur: cui etiam proni ſunt, quibus à naturâ cervix brevis, aut anguſta conceſſa eſt: caput amplum, rotundum, grave frequenti ſopore tentatur: oculi tenebris offunduntur: corpus totum pigreſcit inertiuſque evadit: οἱ παχέες φύσει, ταχυθανατώτεροι τῶν ἰσχνῶν.

IV.

APOPLEXIA quo ſe prodit manifeſtius eo periculi plus ineſſe denuntiat. ἰσχυρὴ, ἀνίατος: adeo vt nullâ ratione poſſit curari nequidem ab Æſculapio. ἀπηνὴς, δυσκαταμάχητος: niſi obſtructarum viarum libertas brevi comparetur, momentaneum affert ſuffocationis periculum: ægrum interficit: vel eam non raro excipit ſuccedanea paralyſis, calamitoſa certe, nihilominus in huiuſmodi caſu deploratiſſimo nemini non optanda. occaſio præceps, nullaſque morbus præbet inducias: præſentem Medici, non αἱμοφόβον, opem efflagitat. ἀποπλήκτοισιν αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγενόμεναι χρήσιμον: ſic arte & conſilio facta detractio ſanguinis ἀφωνίαν exolvit. tam late ſe diffundit, tuta acutiſſimorum anchora φλεβοτομίη. ſanguis ex utrâque baſilicâ pro vaſorum plenitudine ſtatim eſt detrahendus; clyſmi paulo acriores injiciendi; ſaphenæ ſectio, propter partes longius diſſitas, tuncque frigore torpeſcentes, lentius præcipiti morbo occurrit; ranunculárum ſub linguâ venarum diuiſio, quia nec os diducere, nec linguam poteſt æger exerere, inutilis aut impoſſibilis; capillitij deraſura, cucurbitulæ rubicantes, ſcarificationes, emplaſtra ἐπισπαστικὰ, partium frictiones, minoris ſunt efficaciæ; purgantia δραστικώτερα (ſuo tempore proficua) neque repentinam morbi vehementiam, neque oborientem impetum ſedant; ἔῤῥινα, anceps remedium; totius negotij præcipuum feret punctum, venarum jugularium ſectio, ad omnem apoplexiam curandam (fremant licet αἱμόφοβοι) nunquam omittenda.

V.

IVGVLARES venas ſecare nequaquam periculoſum, modo id opus à perito chirurgo adminiſtretur. ligatura non conſtringens, ſed paulo laxior circa collum eſt circumducenda, vt vaſa in ſitu maneant, & ſanguis non guttatim per collum quaſi collachrymando, ſed in arcus figuram effluat. tundenda vena vulnere non amplo, non parvo, ſed mediocri: non tranſverſim, ſed oblique

ſecundum ipſius longitudinem. ſublatâ ligaturâ ſtatim (vt ſolet) fluxus quaſi ſponte ſiſtitur tunc ſufficit faſciatio ſimplex ad continendum ſplenium, ex panno linteo quadruplicato, vulneri imponendum. vbi vero in magnâ ſpirituum efflatione, collo & venis multum intumentibus, orgaſmo effervеſcens ſanguis, quaſi ergaſtulis non coërcendus, erumpit cum impetu: opus erit emplaſtro de maſtiche, vel ad majorem tutelam ſuturâ, quam vocant involutam, acu minimâ & filo perficiendâ; hac arte ferocientis humoris cohibetur inſultus, vulneriſque partes extimæ inter ſe agglutinantur. Num igitur falſo nomen impoſitum, cum non juguletur, cui jugularis vena ſecatur? Nec eſt novum aut inſolens illud præſidium, quod à pluribus annis, fœlici ſucceſſu, à Medicis in uſum revocatum eſt, ad curandos graviſſimos capitis affectus: cephalæam, phrenitidem, maniam, inveteratas contumaceſque oculorum inflammationes, & ipſam ἀφωνίαν. Iugularium ſectio eripit pluſquam decumanis fluctibus pene naufragum apoplecticum, aut properantia fata moratur. ad revellendam ſimul & derivandam, ab omnibus cerebri partibus, etiam intimis, materiam, quæ committit apoplexiam, nullum eſt ipsâ prǽſidium, efficacius; omni apoplexiæ ἡγεμονικὸν eſt. dum à jugularibus externis, cum internis communicantibus, cito (vt expedit) & in copiâ magnitudini morbi analogâ, evacuantur humores: eorum orgaſmum cohibet aut ſedat; ſolvit & arcet τῶν φλεβῶν ἀπόληψιν; obſtructiones reſerat; ſpiritibus aditus & vias patefacit; omnia ſubducto morbi pabulo contemperat; vires recreat; naturam oneris parte levatam reddit expeditiorem; & liberiore factâ reſpiratione ægrum ab imminenti periculo tutius vindicat.

Ergo omni Apoplexiæ jugularium ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Abrahamus Theuart.
M. Nicolaus Lienard, Scholæ Prof.
M. Philippus Douté.
M. Michaël Denyau, Chirurg. Prof.
M. Claudius de Frades.
M. Ægidius le Bel. Vnic. Fratr. Reg. Med. ord.
M. Tuſſanus Fontaine.
M. Franciſcus Pajot.
M. Florimundus Langlois.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS LE LONG Pruvinæus.
A. R. S. H. M. DC. LXV.